Dissertatio
inauguralis medico-practica
de
TUSSI CONVULSIVA,
quam
consensu et auctoritate
Illustrissimi ac Magnifici Domini
PRÆSIDIS AC DIRECTORIS,
nec non
clarissimorum ac celeberrimorum
D. D. Professorum
pro
Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea
rite obtinenda
in celeberrima Academia Josephina
publicae disquisitioni submittit
F. J. Theodorus Hollusacha,
Austriacus Meidlingensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Julii 1842.

Vindobonae.
Typis Caroli Ueberreuter.

K. u. k. Militär-ärztliche Bibliothek

Standort			Katalog		
	Zimmer			Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	

Medicus naturae minister, non magister est, et cum natura, quae optima morborum medicatrix, operari et agere debet.

Fried. Hoffmann.

EXCELLENTISSIMO AC ILLUSTRISSIMO

DOMINO COMITI

Eugenio

FALKENHAYN,

S. C. et R. A. M. Camerario et Actuali Intimo Status Consiliario, Generalis Campi Mareschali Locumtenenti Insignis Ordinis C. R. Russici St. Stanislai Classis I. R. Bavariae Coronae Meritorum Equiti, Societatis C. R. Pro Re Agraria Viennis Membro, Plurium Ditionum In Austria Inferiori Possessori

etc. etc.

IN PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS

AC

SEMPITERNUM

ANIMI GRATISSIMI

MONUMENTUM

tenuia haec conamina literaria

sacrat

devinctissimus

Auctor.

Procemium.

Doctoris medicinae lauream obtenturum jubent leges academicae thema quoddam e vasto medicae scientiae ambitu tractare ac publicae disquisitioni submittere; quam obligationem soluturus „Tussim convulsivam" selegi et quae circa hanc materiam e diversis auctoribus colligenda erant, colligere et in totum redigere conatus sum. Si ad rem pares deficiunt vires, si opus mancum invenis, nonnisi quo tempore et sub quibus rerum adjunctis me auctoris munera usurpasse, benevole lector, memento.

Vale et fave!

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31883588

Brevis conspectus historicus.

In operibus medicorum veterum graecorum atque arabicorum de hoc morbo nil legitur; fuerunt quidem, qui in Hippocratis scriptis *de morbis epidemicis* tussis convulsivae mentionem factam esse putarunt, sed ibi obiter solummodo de adfectione colli epidemica saepe cum inflammatione pharyngis juncta agitur. Willisius primus sub denominatione *tussis puerorum convulsiva, suffocativa,* hunc morbum descripsisse fertur. Fridericus Hoffmann concedit quidem, Willisium morbo huic nomen tussis convulsivae dedisse, sed illam cum aliquibus aliis tussis spasticae modificationibus confundit. Notio pertussis solidior nonnisi ab initio saeculi decimi quinti repetenda. —

Synonyma.

Tussis convulsiva, *tussis ferina*, *pertussis*, *morbus cucularis*, *tussis quinta*, *Keuchhusten*, *blauer Husten*, *Stickhusten*, *Krampfhusten*, *Coqueluche*, *Architoux*, *Toux quinteuse etc.* audiunt.

Conceptus morbi.

Tussis convulsiva est morbus contagiosus et plerumque epidemicus, per tussis spasmodicae plus minus longe durantes atque revertentes accessus stipatus, in-

fantes prae adultis plectens, sub quibusplures praecipites atque profundas inspirationes inspiratio sequitur difficilis, imperfecta, sonora, sonum asinino mugitui similem edens, vario, brevi tamen tempore durant et vomitu utplurimum terminantur [1]). Morbi aetiologia multis adhuc premitur tenebris; indiscriminatim fere sub omnibus anni temporibus atque variis climatibus adparet [2]).

R. Watt contendit quidem, hunc morbum in terris septemtrionalibus majori cum periculositate et frequentius occurrere, alii vero opinionem, pertussim in terris calidiorobus magis esse periculosam et frequentem, defendunt.

Plectit pertussis, etsi non epidemica, plerumque plura insimul individua, praecipue infantes a partu usque ad dentitionem secundam, ita, ut inter centum triginta, centum sex ab uno ad septimum et viginti quatuor solummodo ab octavo ad decimum quartum annum numerentur, et quidem major numerus generis sequioris quam masculi.

Dr. Constant inter noningentos pueros in „hôpital des enfans“ susceptos, viginti septem cum tussi hac invenit et inter quadringentas puellas duodeviginti; inde elucet, has frequentius ab hoc plecti morbo. Nihilominus tamen et in adultis imo senibus animadvertitur, in quem illi, qui constitutione debili atque erethica mulctantur, majorem dispositionem prae se ferre videntur [3]).

Malum haud raro contingens, pauperum pariter tuguriis ac nobilium palatiis inerrans, J. Frank dicit: Parcet nec divitibus nec pauperibus.

Communiter unum idemque individuum semel so-

---

[1]) Principia Path. ac Ther. specialis med. usui acad. adcommod. auct. J. N. nob. de Raimann. Vienna 1835.

[2]) Jos. Frank praxis med.

[3]) Beobachtungen von Keuchhusten bei Erwachsenen von Huxham und Haase.

lum infestat; notante Rosen hucdum secunda vice nullum infantem plexit, quod tamen hinc illinc quamvis rarissime ab aliis observatum esse fertur.

Est morbus epidemicus, certis temporibus vel pagos vel urbes vel latam regionem transmigrans, incolas vel indiscriminatim vel certis solummodo sub aetatibus invadens, quin caeterum causae adparitionis vel disparitionis erui possint; ita et per longa temporis spatia emanet, vel omni fere revertitur anno.

Quoad durationem et symptomatum intensitatem secundum Guersent magna cernitur variabilitas.

Priorum temporum epidemiae multo terribiliores atque magis exitiales fuere, quam nostro aevo; in testimonium: et hunc morbum, uti omnes fere epidemiae, temporis successu intensitate sua multum perdidisse.

Secundum calculos a Rosen institutos in Suecia ab anno 1749 ad 1764 infantum 43,393 succubuere, hinc fere 2712 per annum. Anno 1755 emortui sunt 5812, serius circa 2000.

Ozanam sequentium epidemiarum mentionem facit: [1]).

Anno 1724 tussis convulsiva, sub finem aestatis in urbe Augusta Vindelicorum epidemice adparens, per decem menses grassata est, quam epidemiam Gulmann exactius tractat.

Secundum Marcum [2]) epidemia haec annis 1732 et 1733 non solum omnem fere transmigrabat Europam, sed et in Jamaicam, Mexico, Peru etc. travecta est.

Vere anni 1746 hic Viennis et in omni ambitu infantum trium mensium, — 4 — 6 — 8 — 9 annorum permultos enecavit.

Mense Julio 1757 morbus repente adparuit in du-

---

1) Ozanam histoire medicale, génerale et pratique des maladies épidemiques. Tome II p. 128.

2) Der Keuchhusten und seine Erkenntniss, Natur und Behandlung. Bamberg und Leipzig 1816.

catu Megalopoli, lactantes maxime invadens, quam epidemiam et Geller descripsit.

Anno 1767 in Dania, 1770 in Anglia vehementer et diffuse grassata est. Notat Arand profluvium mucosum e naribus copiosum infantibus multum tulisse levaminis; interdum permulti suffocari visi sunt.

Köhler [1]) quatuor epidemiarum per tredecim annos durantium historiam refert. Anno 1806 Lando Genuae epidemiam talem animadvertit, infantes 6—7 annorum maxime ingredientem et tam rapide decurrentem, ut stadium catarrhale vix distingui potuisset; complicationes cum morbis exanthematicis acutis illam adhuc reddiderunt periculosiorem; epistaxis, vomitus morbi decursum multum leniverunt.

Anno 1815 Ozanam Milani morbum observavit maximae intensitatis, in complicatione cum febri quotidiana duplici.

Durantibus paroxysmis febrilibus tussis insultus plane sistentes, post illos eo vehementius ingrui cernebantur. In quibus phlebotomia instituebatur infantibus, omnes paucis diebus exspirarunt, quamvis necroscopia frequentissime instituta phlogoseos vestigia in bronchiis, pulmonibus, pleura etc. inventa fuerint.

Per contagium morbus transfertur, quod multis exemplis facillime esset probandum [2]).

Häussler putat, contagium inter fixa et volatilia medium tenere idque in tertio stadio evolvi. Periculum infectionis in morbi versatur culmine, et communiter post quinque vel sex dies morbus communicatus erumpere consuevit; haud raro vero etiam subito intrat, nullis praegressis symptomatibus praecursoribus.

---

[1]) Köhler, Miscellanea medica. 1783. —

[2]) Hufeland und Osann, Journal der praktischen Heilkunde. Jan. 1832.

Morbi symptomata atque decursus.

Plerumque morbus cum catarrho simplici intrat; levis horripilatio, morositas, debilitas, nec non somnolentia aegrum molestant; oculi illacrymati rubent, adsociatur sternutatio, facies paululum tumet; tussis adest sicca, sonora, plus minus frequens, periodica; vox leviter rauca; pulsus aut afebriles sunt vel febrim vehementem indicant, typum tertianum vel quartanum mox assumentem; sapor vix est alteratus, appetitus vel modicus vel nullus.

In hoc stadio proruptio morbillorum vel alius cujusdam exanthematis acuti nonnunquam exspectatur.

Haec phaenomena, quae *stadium primum* vel *catarrhale* sistunt, septem, decem, vel quatuordecim dierum, rarius brevioris sunt durationis.

Tussis demum spasmodicum accipiens characterem, singulari excellit rhythmo. Accessus initio longioris durationis sunt vel celerius sese insequuntur, praecipue nocturno tempore frequentius intrant, et quamvis nondum cum tussi conjuncti sint sibilosa, tamen jam emesim provocant; conqueruntur aegri de pectoris dolore. Pertussi omnimodo evoluta quemvis accessum praecedit sensus titillationis in pharynge valde molestus, vel in superiore parte tracheae sentitur; in- et exspiratio visibiliter citantur, fiunt irregulares, incompletae, praecipue in junioribus infantibus, qui quasi perterriti procumbunt; interdum aliquis nisus ad halitum retinendum adest. Accessus nonnunquam per quadrantem horae praesagiuntur, dolore vivo in pectore atque constrictione septi transversi spasmodica praesentitis.

Accessu intrante parvuli adstantes anxie amplectnntur ac si fulcrum quaererent; noctis tempore repente evigilant et mox consident in lecto; tussis conquassationes tam celeriter insequuutur ut suffocationis

metus intret. Facies turget, rubet, imo livet, oculi lacrimis suffusi protruduntur, arteriae colli valdopere pulsant, venae dilatatae et vasa capillaria injecta visuntur.

Sanguis e naribus, ex ore vel auribus profluit, vel levis in bulbi ac palpebrarum conjunctiva congestio oritur; sternutatio frequens aegros molestat.

J. Frank narrat: „In schedis patris mei exemplum comitissae S.... invenio, quae in quovis insultu centies et ultra sternutabat."

Sudor frigidus, profusus, cutem tegit, praecipue caput, collum et humeros; emesis intrat; alvus et urinae involuntarie a nonnullis mittuntur; rarius ani prolapsus observatur; interdum et herniae vel prorumpunt vel, si forsan antea jam adfuerant, iterum protruduntur.

Interdum inspirationes quaedam interruptae, incompletae sequuntur et mox inspiratio sibilosa, characteristica accessum finit; haud raro vero accessus solummodo interruptus iisdem revertitur phaenomenis, qui demum aut per expectorationem aut vomitum materiae mucosae, insipidae, acoloris, cum succo gastrico aut cibis indigestis mixtae finitur.

Durante tussis accessu, si ope sthethoscopi aut plessimetris thoracem inquiris, trunci concitationes per tussis vehementiam quidem, strepitum respiratorium vero percipies nullum; inspiratio sibilosa, quae accessum concludit, ad laryngem limitata esse videtur.

Singulus insultus quindecim minutorum spatium et ultra explet. Finito accessu parvuli accusant dolorem pectoralem praecipue circa insertiones diaphragmatis; et capitis gravedinem cum cephalaea obtusa; facies, oculi, collum tument; coenestesis inamoene est alterata, respiratio adhuc citata; pulsus frequentes; artus nonnunquam convulsive contremiscunt.

Quae vero phaenomena nonnunquam mox transeunt, vel post leviores insultus plane non obveniunt et

infantes ad consuetos lusus redeunt, cibos petunt, vel mox obdormiunt.

Accessus indeterminatis repetuntur vicibus, nonnunquam tamen cum regularitate quadam, mox sine ansa patente, mox per influxum frigoris intrantes. Ad illos provocandos sufficiunt clamores, fletus, dolor vehemens, cursitatio velox, ira, ventriculi per cibos expansio, mucus in bronchiis accumulatus.

Numerus eorum aeque valdopere variat, omni decimo observatur minuto, interdum inter nycthemeron vix decies vel duodecies. Per omnem morbi durationem nocte, mane et vesperi frequentiores sunt quam diu; Laennec vero noctes tranquilliores esse contendit [1].

Multi observarunt, si plures in uno cubiculo hoc morbo decumbunt infantes, tussiente uno brevi reliquos omnes ad tussim invitari.

Quibusdam in casibus status febrilis, qui cum hujus stadii introitu cessaverat, de novo aut continuo aut remittente typo revertitur.

Duratio hujus *stadii spasmodici* vel *convulsvi* a quindecim diebus ad mensem variat, nonnunquam et ultra procrastinatur. Stadium tertium, illud decrementi, per octo, decem dies vel plures menses durat; insultus tunc insequuntur rariores, mitiores atque breviores; per sudores universales, digestionem normalem, adpetentiam ciborum, expectorationem vel emesin mateteriae mucosae, crudae, finiuntur; sputa sunt viridia tenacia uti in bronchitide; vires successive refocillantur.

Respiratio stridula pathognomonica mox evanescit; tussis interdum per plures dies silet, quae vero, si fors iterum quocunque modo excitatur, iisdem quam antea recrudescit phaenomenis.

Infantes, morbo penitus finito, nonnunquam singu-

---

[1]) Laennec traité de l'auscultation. Tome I. p. 187.

larem adhuc ad tussim coguntur, si irascuntur vel ob dolores vehementes lacrimantur.

Ex his patet, durationem hujus morbi haud facile determinari posse; quatuor, sex hebdomades, imo per plures menses perseverare solet. Miles-Marlay per plures annos illum durasse asserit, ubi potius in catarrhum chronicum transiisse videtur.

Nec semper simplicem et regularem decursum observabis; morbus pro intensitate, aetate aegrorum, complicatione etc. valdopere variat. Haud raro insultus singuli tantae sunt intensitatis et durationis, ut in junioribus infantibus lethales cieant convulsiones.

Morbo diu durante macilenti, debiles, exhausti infantes conspiciuntur, vel in marasmum incidunt maxime lethalem.

Adsociantur quibusdam in casibus symptomata nervosa periculosissima; febris evigilatur, deliria, motus convulsivi vel singularis anxietas atque pectoris oppressio sine causa nota praecedente intrant.

Abdomen meteoristice expanditur, meteorismo cum insultibus cessante et iterum revertente.

Inter complicationes morbi *bronchitis* vel sola occupans bronchia, vel ultimas etiam obsidens eorum ramificationes et *pneumonitis* primum tenent locum. Blache inter quadraginta casus duodecim cum pneumonia et decem cum bronchitide complicatos observavit.[1]

Si pneumonia majoris extensionis adest, insultus pertussis rariores visuntur minusque evoluti; recedente pneumonia pristinam iterum recuperant intensitatem. In curotrophiis pertussis saepe phthysi complicatur, quae degenerationem tuberculorum accelerare videtur.

---

[1]) Dictionnaire de Médecine ou Repertoire général des sciences médicales, par M. M. Adelon, Beclard etc. Paris 1835. Tome IX. und in den Analekten über Kinderkrankheiten. 4. Heft. Stuttgart S. 42—80.

Rarius contingunt pleuritis, pericarditis, oedema pulmonum, emphysema; angina membranacea superveniens tales aegros nonnunquam cito enecat.

Symptomata gastrica rarius, saepius diarrhoea, colica, alvi segnities occurrunt. Per nullum morborum se adsociantium tussis ferinae decursum notabiliter abbreviatum esse experientia docet; *ophthalmiae* periculosissimae, *zona*, *scarlatina*, imo *variolae* nullum exercere influxum observantur; quamvis nonnulli opionem foveant, morbos cutaneos chronicos a pertussi praemunire vel saltem illam moderare, cum quibus vero Wendt et Haase non conspirant.

Diagnosis.

Tussis convulsivae diagnosis symptomatibus adlatis probe dignatis non difficulter statuitur. Ex faciei aspectu Goelis morbum saepe jam agnovit; facies tumida in caeruleam quasi vergit colorisationem et saepissime, praecipue in tertio stadio, labia oris hydroa febrili obtecta tument, quae omnia pro parte nisus sub tussi vehementis certe sunt effectus.

Praecedit insultum plerumque spasmus, qui a majoribus infantibus bene praesagitur; sicuti in helminthiasi, aegri digitum naso immittunt.

Commutatio cum illa bronchitidis varietate, quae tussis vehementibus ac cito revertentibus insultibus manifestatur, possibilis est; adcuratiori vero attentione in respirationem, quae tunc non auditur sonora, in motum febrilem, qui illam comitatur, in emeseos absensentiam, in sputorum qualitatem, ambas ab invicem mox discernes.

Prognosis.

In tussi convulsiva simplici praesagium communiter faustum est pronunciandum; plurimis in casibus

prosperum exspectare licebit eventum; quo juniores infantes, quo major decumbentium numerus, praecipue autumnali aut hiemali tempore, eo pejor prognosis est statuenda.

Sub insultibus perquam vehementibus aeque infantes morbo secus simplici suffocantur.

Infantes anni unius apoplectice emoriuntur, idem valet de obesis atque plethoricis; ex parentibus phthisicis, asthmaticis progeniti prae aliis periculo subjiciuntur.

Morbi secundarii qui observantur, sunt: affectiones encephali variae, dilatationes cordis, arteriarum majorum, cyphosis etc.

Mortis instantis signa sunt: emaciatio, hydrops anasarca, febris continua, insultus fortes citius revertentes; maximi momenti est etiam subitanea atque singularis faciei defiguratio.

Si intervalla libera demum diutius durant, prognois, etsi insultus adhuc sint vehementes, jam laetior erit.

Pathologia anatomica.

Morbus gravioribus solummodo sub complicationibus exitum sumere solet lethalem, et mutationes, quas invenimus. anatomicae ex iliis originem ducunt.

Inflammationis vestigia, membranae mucosae inferiorem tracheae illiusque ramificationes partem obvestientis, saepissime observata, ad conclusionem nonnullos medicos duxerunt, pertussim hujus inflammationis esse sequelam.

Parenchyma pulmonum aeque phlogosim praecessam monstrat, vel cum priori nuptam, vel tuberculis in glandulis bronchialibus comitatur.

Bronchiorum dilatatio haud raro obveniens, si mors in ulteriori morbi decursu intraverit, magis a mechanica per tussim intentione produci videtur.

Inflammationem nervi pneumogastrici quod attinet, quam Bérchet, Jos. Frank, Kilian invenisse asserunt, alii multi nunquam adcuratissima atque solertissima cadaverum lustratione detegere potuerunt.

Albers Bonnae quadraginta septem ex hoc morbo defunctos secavit, et nervus vagus in quadraginta tribus casibus sine mutatione voluminis vel coloris vel consistentiae inveniebatur. In quatuor aliis nervus ille sinistri lateris leviter rubebat, uti in subjectis plethoricis e typho abdominali emortuis obvenit. Velamenta cerebralia ipsumque cerebrum injecta, raro vera inflammatio harum partium, in ventriculo nulla, plures in tubo intestinali mutationes obveniunt.

De morbi sede.

Liceat mihi pauca referre de variis opinionibus scriptorum medicorum de morbi sede atque essentia.

Quidam medici, uti Watt, Badhan, Marcus, tussim convulsivam et bronchitidem unum eundemve morbum sistere putant, morbi symptomatibus atque inflammationis vestigiis post mortem inventis eo adducti.

Alii, uti Dewers, Rostan, Dugés, Boisseau pertussim pro varietate catarrhi pulmonum, Guirsent pro specifica bronchiorum phlogosi cum turbata functione nervorum pectoralium declarant.

Raimann, Hufeland, Schaeffer, Albers, J. Frank, Rouhe tussim convulsivam neurosim esse dicunt, quae secundum symptomatum complexum aperte in membrana mucosa bronchiorum et in nervo pneumogastrico sedet; cum bronchitide et pneumonitide juncta est, sed et sola existit, et tunc, uti multi horum morborum, momenta anatomica perspicua non exhibet, quae opinio veritati maxime accedere videtur.

Convictionem hanc sequentia momenta confirmant:

I. Status plerumque afebrilis morbo plenarie evoluto et non complicato.

II. Decursus morbi singularis.

III. Facilitas, qua incessus subito per terrorem vel iram provocantur.

IV. Aeger finito insultu euphoria gaudet, si nullum symptoma complicationis, e. c. bronchitidis, adest.

V. Pertinacitas morbi, quae haud raro omnem eludit therapiam; semper tussis convulsiva difficilius bronchitide sanatur.

VI. Inefficacitas remediorum antiphlogisticorum et effectus prosperi, quos saepe ferre valent remedia antispasmodica vel narcotica.

VII. Inexspectatus atque velox morbi finis.

VIII. Phaenomena morbosa in uno eodemque morbo tam varia post mortem inventa in organis respirationi dicatis, ut nullum eorum qua probabilis et sufficiens mortis causa determinari possit.

Therapia.

Innumerae quasi fuerant medendi rationes vel propositae vel adhibitae; quod quidem haud mirandum erit, qui in morbi hujus indolem quam maxime reconditam et in varias affectiones attendet, quae cum hoc morbo facillime confunduntur.

Quilibet sua laudat specifica; Roche de his acute dicit, magnum existere catalogum horum remediorum infallibilium, quorum plura si adhibentur, nil praestant effectus exspectati.

Characteris epidemici stationarii singularis notio ad therapiam quamcumque aptam instituendam plurimum est necessaria.

Morbo initiante, si stadii primi symptomata adparent, optime quadrant illa remedia in simplici bronchitide laudata; sufficiunt potulenta leniter diaphore-

ca, solventia, uti sunt: Decoctum radicis Althaeae, Decoctum specierum pectoralium etc.

Mox vero ad efficaciora remedia confugiendum erit, nempe ad Spiritum Mindereri, Vinum antimoniatum Huxhami, Salem ammoniacum depuratum, Nitrum etc.

Febris character si inflammatorius est, in primo jam stadio sanguinis depletiones institui, insimul etiam praeparata Hydrargiri interne et externe in usum vocari debent.

Per sanguinis depletiones vel irritantia volatilia nonnulli ulteriorem morbi evolutionem prohibere arbitrantur, quod vero a multis non conceditur.

Ad praecavendas complicationes magna opus est cautela, et si jam fors aliquae intraverint, statim contra illas agendum.

Tussis convulsiva demum evoluta therapiae ab initio institutae nullam necessariam reddit mutationem.

Charactere morbi benigno et gradu moderato, sequentia certe adhibebis multo cum emolumento.

Intrante tussis insultu infans in lecto decumbens statim erigatur et ut consideat moneatur, quod si non fit, praecipue in junioribus, summum vitae struere posset periculum.

Per diem aegrotantes lubentius extra lectulum versantur; durante insultu manus, fronti admota et caput fulciens, magnum ipsis fert levamen.

Ut abbrevietur et moderetur insultus, si tussis vehementia ac celeritas hoc non impediunt, haustus quidam aquae subfrigidae aut potus cujusdam blandi valde proficui habentur.

Mucus in oris cavo ad notabilem saepius quantitatem accumulatus et respirationem valdopere gravans, digito linteo circumvoluto et ori immisso mox est amovendus.

Sub intervallis liberis nisi febris vel aliae adsint complicationes, jusculum quoddam, vel julepum, vel

potus mucilaginosi modica quantitate propinentur; victus sit parcior.

Adplicentur pediluvia cum sale culinari, sapone, cineribus parata, per diem saepius repetenda; quorum effectus eo praecipue intenditur, si immissis jam pedibus aqua calidior affunditur, et si per quindecim usque ad triginta minuta infantes ibi remanere persuadentur.

Magna muci quantitate in bronchiis accumulata remedia emesim provocantia frequentiam atque vehementiam tussis moderant, quam opinionem Guersent valdopere defendit.

Laennec omni die emeticum esse propinandum contendit.

Adhibetur in hunc scopum frequentissime radix Ipecacuanhae; Tartarus emeticus ob solubilitatem suam aptior esse videtur, nam facilius in minimas doses dividi potest, quas infantes juniores ac debiles sufferre valent. Dosis Tartari emetici pro aetate varia est; post secundam, tertiam dosim si infantes non vomunt, illa est augenda; e. g.

Rp. Tartari emetici *granum semis* — ¾ — j — jβ — jj
solve in
Aquae destillatae *uncia semis*
adde
Syrupi Violarum *unciam semis*.
M. D. S. Omni bih. cochl. coff.

Etiam remedia alvum leniter ducentia, uti: Syrupus Rosarum per se aut cum Oleo Olivarum, Syrupus Cichorei cum Rheo, Manna electa, Oleum Ricini; vel fortiora, uti: Hydrargirum muriaticum mite, Rheum, Jalappa saepe quadrant qua remedia derivantia et insimul etiam alvi obstipationem amoventia.

Marius et Dewers Hydrargirum muriaticum mite scopo evacuanti atque antiphlogistico adhibere solent.

Hodiedum vero sat compertum est, emetica alvum ducentibus longe esse praeferenda; haec sordibus deorsum turgentibus in usum sunt vocanda.

Alvum obstipam per remedia interna difficulter movebis, potius per externa, uti sunt clysmata e foliorum Sennae infuso vel sale quodam medio parata.

Emetica curam semper fere valdopere suffulciunt, vitanda vero, si irritatio phlogistica gradus altioris adesset, ubi per dosim refractam Tartari emetici [1]), per sanguinis depletiones corpus ad eorum usum praeparatur.

Sanguinis depletiones, a Marco aliisque celebratae, secundum experientiam aliorum nullum plerumque exercent influxum in insultus tussis convulsivae, imo illos longiores reddunt, debilitatem universalem haud proficuam causando; nonnisi praesente febri valida et in individuo forti, plethorico, ad eorum suadere vellem usum. Veteriores sanguinis missionem prae caeteris adhibuerunt, uti Huxham; ipse Sydenham phlebotomiam „*ingens solamen aegrorum*“ adpellat.

In tractanda tussi convulsiva sicut omni epidemia, non solum constitutionis et temperamenti aegrotantium, sed praecipue constitutionis epidemicae stationariae ratio est habenda; hinc therapia pertussis hieme et vere grassantis ab illa aestate saevientis longe differre debet.

Priori in casu sanguinis depletiones praestantiora sunt remedia, altero vero emetica. Methodi certis sub rerum conditionibus faustissimae, alio in casu nil praestant boni.

Nonnunquam in omnibus insimul aegrotantibus

---

[1]) Ich bin der Meinung, alle Fiebermixturen etwas zu antimonialisiren, und habe noch einmal so viel Zutrauen zu einer solchen Mixtur, die mir dadurch gleichsam mehr animalisirt scheint. Ch. G. Hufeland.

reactio quaedam intrat universalis, quae sanguinis missionem exigit, nonnunquam affectio systematis nervosi vel debilitas magna maximam injungit in illis adhibendis cautelam.

Huxham de epidemia tali: „*His sanguinem mittere,*“ narrat, „*necesse est prorsus, imo aliquando bis, terve etiam binulis trinulisve.*“ [1])

Sed et aliorum mentionem facit, ubi usus emeticorum et laxantium injungebatur.

Epidemia anno 1764 Hafniae grassante, remedium efficacisssimum erat Ipecacuanha; in adultis plethoricis phlebetomiae frequentes instituebantur.

Idem erat in epidemia Genuae grassante a Lando descripta.

Dr. Waker narrat, *parvulum suum* solum per usum Moschi (15 gran. intra 15 hor.) salvatum fuisse.

Quaecunque sit constitutio stationaria, tamen illis in casibus, ubi complicatio quaedam inflammatoria vel alia palam fit, statim therapia illi est accommodanda.

Nihilominus tamen, proh dolor! morbus, omni amota complicatione simplex redditus, characterem convulsivum assumens, pertinacissime omnibus resistit adminiculis medicis.

Quo in casu medicus ad duas remediorum series: Narcotica et Antispasmodica confugiet, necesse erit.

E prioribus eligendae sunt praeprimis: *Belladonna, Cicuta, Opium, Acidum hydrocyanicum.*

Germaniae medici praecipue Belladonnam contra tussim convulsivam laudarunt.

Hufeland specificum illam vocat remedium, quod a morbi exordio jam propinari posse putat; caeterum majori cum emolumento a die decima quinta ad vicesimam stadii convulsivi illam adhibebis, nisi in-

---

[1]) Huxhami observationes de aëre et morbis epidemicis. Tomus II. pag. 116.

flammatio organorum pectoralium insimul praesto est, ubi plus damni fert quam utilitatis.

Wiedemann, Fischer, Schneider, Schäffer etc. in epidemia pertussis se Belladonnam cum „*magno successu*“ dedisse confirmant [1]).

Jörg Belladonnam insultus tussis convulsivae per horas quasdam quidem supprimere, illos vero mox cum vehementia iterum redire observavit.

Hufeland sensum constrictionis colli, quae suffocationis metum induxerat, oriri narrat.

Idem et Berndt Belladonnam morbo ad tertium stadium vergente cum Ipecacuanha et Sulphure nuptam efficacissimum praedicat remedium.

His omnibus in unum complexis, Belladonnam quoad virtutem specificam in tussim convulsivam vix radici Chinae in febres intermittentes aequiparabis.

Ranoc et Buchhove de Belladonnae virtute in hunc morbum referunt [2]): Minima cum dosi incipiendum esse, usque ad narcoseos levis indicia sensim augenda.

Schaeffer ad visus obfuscationem usque et siccitatis sensum in pharynge dosim auget; tunc dosibus refractis recedens levem usque ad alterationem continuat.

Remedium hoc, si diu asservatur, multum virtutis perdit, ita, ut dosis granorum duorum et ultra nullum fere producat effectum; radicis recentis vero pars octava magnum exercet influxum [3]).

Laennec Belladonnam inter illa refert remedia, quae tussim valde moderare atque abbreviare, inspi-

---

[1]) In praxis medicae Parte II. Vol. II. Sect. I. pag. 855 legimus J. Frank belladonnam sine ullo effectu dedisse.

[2]) Acta regiae societatis medicae Havniae. Tomus I., IV. et V. 1783. 1785.

[3]) Archiv für medicinische Erfahrung, 4. Heft vom Jahre 1829.

rationem rariorem reddere, dispnoeam levare et secretionem membranarum muciparum intendere valent.

D. Jakson in America hoc remedium in stadio convulsivo magna cum utilitate dedit, dosim ad pupillae dilatationem auget, quod et Guersent, Blache aliique obtinere student per illius usum.

Goelis [1]), Baron, Trousseau ob agrypnyam, quam nonnunquam producit, cum Opio illam jungunt.

Adhibetur plerumque pulvis foliorum vel radicis Belladonnae; ab Jahn infusum commendatur e granis decem — viginti ad colaturam Aquae unciarum sex; quod omni trihorio quantitate cochlearis infantilis exhibetur; etiam extractum e succo spirituosum potest praescribi.

Praeparati qualitas atque forma, infantis aetas dosim determinant. De pulvere sumatur octava pars grani binis vicibus de die, mane et vesperi propinanda, dosis leniter crescendo augeatur; ultra quatuor — quinque grana inter nycthemeron vix unquam erunt necessaria.

Usus externus vel nil vel parum adfert utilitatis; adplicatur externe sub forma cataplasmatum ex decocto forti foliorum Belladonnae cum farina seminum Lini in pultem conformato.

Pieper Extracti Belladonnae dimidiam grani partem ope salivae in scrobiculo cordis infringere, Fuster vapores infusi calidos inspirare suadet.

Infusum Belladonnae.

1. Rp. Herbae Belladonnae *grana viginti quatuor*
   infunde
   Aquae communis fervidae q. s.
   digere per ½ hor. v. cl. loco tepido

---

[1]) Goelis post usum Belladonnae dosibus majoribus hydroecphalum acutum ortum jam fuisse monet.

saepius agitando; liquorem adhuc
calidum cola, colaturae refrig. *unc. duarum*
adde
Vini stibiati *drachmam unam*
Syrupi Senegae *drachmas sex.*
M. S. ter — quater de die cochl. coff. (pro inf. dec. annor.)

2. Rp. Radicis Belladonnae *scrupulum unum*
Herbae Belladonnae *drachmam semis*
Infunde sufficientem quantitatem
Aquae communis fervidae, digere per ½ hor.
colaturae *unciarum octo*
adde
Syrupi Diacodii *unciam unam.*
M. Dt. S. Omni bihorio cochl. inf. unum.
Schaeffer.

Pulveres.

3. Rp. Pulveris radicis Belladonnae *grana duo*
— — Ipecacuanhae *granum unum et semis*
Sulphuris depurati
Sacchari lactis āā *drachmam semis*
M. exactissime, fiat pulvis, divide
in partes aequales *Nr. octo.*
D. S. Ter de die pulvis.
(Pro infante trium annorum, augenda dosi Belladonnae.)

4. Rp. Pulveris radicis Belladonnae *granum unum*
Laudani puri *granum semis*
Sacchari albi *scrupulos quatuor*
Misce fiat pulvis, divide in
partes aequales *Nr. octo.*
Dt. S. Mane et vespere pulvis, vel omni trihorio usque dum facies rubet. Goelis.

Unguentum.

5. Rp. Electuarii anodyni
Pulveris radicis Belladonnae
Laudani liquidi Sydenhami āā *scrupulos duos*

Gummi arabici *drachmas tres*
Misce fiat lege artis unguentum.
S. In corio extensum epigastrio imponatur.
Goelis.

Linctus.

6. Rp. Extracti Belladonnae
— Hyosciami āā *grana tria*
Oxymellis scillitici *unciam semis*
Syrupi Altheae *uncias duas*
M. Dt. S. Omni bihor. cochl. coff. duo.
Pro infante octo annorum.

Extractum Cicutae a Stock, Butter, Armstrong, Lentie, Ranoc etc. multum laudatum, a Lettson et Cullen nullum effectum producere in tussi convulsiva dicitur.

Schlesinger Varsoviae anno 1781 hocce praeparatum parvis dosibus cum Tartaro stibiato optato cum effectu sequenti modo adhibuit [1].

Rp. Tartari stibiati *granam unum*
solve in
Aquae destillatae *drachmis duabus*
adde
Extracti Cicutae *grana duo*
Syrupi simplicis *unciam semis.*
M. Dt. S. Intra 48 hor. consumatur.

Guersent de Cicuta sequentia dicit: „Das Seditivmittel, das ich gewöhnlich mit dem besten Erfolge anwende, ist eine Mischung von gleichen Theilen Cicuta, Belladonna und Zinkblumen; ich fange mit Dosen von 1/4 Gran jeder einzelnen Substanz an, die dreimal des Tages gereicht werden, und steige allmählich nach der Wirkung, die der Kranke davon spürt. Übrigens hat dieses Sedativmittel, wie

[1]) Journal der praktischen Heilkunde, Septemberheft 1816.

die andern, immer die unangenehme Nebenwirkung, den Auswurf zu hemmen.

Formula.

Rp. Extracti Conii maculati *scrupulos duos*
solve in
Aqua Foeniculi *unciis duabus*
adde
Tincturae Opii benzoici *unciam semis*
M. Dt. S. Cochleatim consumatur.
G. A. Richter.

Remedia opiata, a Stoll et Dewers, multum audata, in junioribus ob congestiones ad encephalon, uas producunt, metuendas, summa cum cautela sunt dhibenda; insuper Opium magis adhuc quam Belladonna et Cicuta pharyngis ac laryngis siccitatem producit et sic expectorationem imminuit.

In stadio tertio tussis convulsivae hoc minus contingit, hinc secundum Henke Opium Chinae nuptum egregias exerit in hoc stadio virtutes.

Marcus Opii usui omnino contradicit.

J. Frank Opium remedium emesim impediens et processum vitalem valde debilitans declarat.

Brachêt in pertussi post varium Opii praeparatorum usum nullos obtinuisse effectus optatos memorat [1]).

C. Mayer endermaticam Morphii applicationem pertussi vehementissimae sananda parem commendat [2]).

Formulae.

Pilulae.

1. Rp. Opii puri *grana duo*
Pulveris herbae Hyosciami
— — Digitalis purpureae āā *grana quinque*
Extracti Hyosciami *drachmam semis*

---

[1]) Brachêt memoires sur l'Opium p. 11.
[2]) Archives génerales de Medecine. Tome XXI. p. 275. 1832.

Mucilaginis Gummi arabici q. s.
ut fiat massa pilularis, e qua
formentur pilulae *Nr. tringinta*
consperge pulvere seminum Lycopodii
D. S. Omni trihor. tres pilulae sumendae.
Heim.

Bolus.

2. Rp. Pulveris Opii puri *granum unum*
„ radicis Ipecacuanhae *grana duo*
„ caulium Dulcamarae
Succi Sambuci inspissati q. s.
ut fiant l. a. boli *Nr. quatuor.*
Consp. etc.
S. M. et V. p. s.

Trochisci.

3. Rp. Opii puri *granum unum.*
Pulveris radicis Ipecacuanhae *grana tria.*
Sacchari albi *drachmam unam et semis.*
Mucilaginis Gummi Tragacanthae q. s.
ut fiant trochisci *Nr. octo.*
Dt. S. M. et V. unus.

Linctus.

4. Rp. Opii puri *granum unum.*
Syrupi Diacodii *uncias tres.*
Olei Amygdalarum r. pr. *unciam unam.*
M. f. linctus.

5. Rp. Decocti radicis Althaeae *unc. unam.*
Nitri puri *grana decem.*
Pulveris Doweri *granum* j. — jj.
Laud. liq. Sydenh. *guttas tres*
Syrupi simplic. *unc. unam.*
M. Dt. S. Omni hora 1 cochl.
Goelis.

Mixturae.

6. Rp. Tincturae Opii simplicis *guttas sex*
Aquae Foeniculi *unciam unam*
Syrupi Cinnamomi *unciam semis.*
M. S. Omni trib. cochl. coff. (pro inf. 3 ann.)

7. Rp. Extracti Chinae regiae *drachmam semis*
solve in
Aquae Foeniculi *unciis duabus*
adde
Liquoris anodyni mineralis Hoffmanni *drachmam semis.*
Tincturae thebaicae *guttas quindecim*
Syrupi corticum Aurantiorum *unciam unam.*
M. S. Omni bih. cochl. coff. 1.

Pulvis.

8. Rp. Morphii acetici *grani octavam partem*
Extracti Hyosciami *granum semis*
Florum Zinci *granum unum*
Sacchari albi *grana decem.*
M. f. pulv. pro dosi, dentur
tales doses *Nr. sex.*
S. M. et V. pulvis.

Infrictio.

9. Rp. Spiritus aromatici *unciam semis.*
Laudani liquidi Sydenhami *drachmam semis.*
M. Dt. pro infrictione.

Goelis.

Aqua Laurocerasi a Carron du Villard in stadio spastico bono cum effectu adhibetur; infantibus omni bihorio guttas sex, adultis drachmam dimidiam propinat [1]).

Jörg, Aquam Laurocerasi tussim augere accusat [2]).

Prosserio et Krimer inhalationem vaporum aquae laurocerasi praeprimis commendant dosi drachmae unius pro una applicatione per decem vel quindecim minuta [3]).

---

[1]) Memoire couronné per l'Athenée de Medecine.
[2]) Archives génerales de Médecine. T. XXV. p. 393.
[3]) Bulletin therapeutique. T. III. p. 199.

Rp. Extracti Hyosciami *grana tria*
solve in
Aquae Cerasorum nigrorum *unciis sex*
adde
Aquae Laurocerasi *uncias duas.*
Syrupi Capillorum Veneris *unciam unam*
M. Dt. S. omni bih. cochl. coff.

Acidum hydrocyanicum a Fontaneilles, Coullon, Granville, Heineker, Behr, Hayward ob insignem in pertussi efficaciam frequenter adhibetur [1]. Infans sex mensium de dosi guttae unius acidi, in uncia una syrupi cujusdam grati soluta, bis de die cochlear theatum capiat, et nisi inter quadraginta octo horas vertigo vel aliud symptoma infaustum intrat, tria cochlearia. Infans unius vel duorum annorum duas guttas, duodecim aut quindecim annorum sex guttas consumere potest.

Facillime hoc remedium decomponitur aëris atque lucis accessu et tempore; summa cautela adhibitum nonnunquam jam tristissimos produxit effectus; vel si depravatum dosis major inefficax est. [2].

Formula.

Rp. Acidi borussici *guttas quatuor*
Syrupi simplicis *uncias duas.*
M. Dt. ad *vitrum nigrum*
S. Mane et Vesp. cochl. theat. dimid..
Edwin Attée.
Gazette medicale 1833. p. 87.

Inter remedia, quae adhuc in usum vocantur in tussis convulsivae therapia, sequentia notanda veniunt:

---

1) Nouvelle observation sur l'usage interne de l'acide prussique. London 1819.
2) Guersent bulletin therapeutique. Tome XVIII. p. 255.

Hyosciamus, Lactuca virosa, Pulsatilla nigricans, Stipites Dulcamarae, Stramonium, Digitalis, Ledum pallustre, Nicotiana, Syrupus Lupulini, de quibus formulae quaedam e Goelis aliisque usitatae hic adferuntur.

Hyosciamus. — Pulveres.

1. Rp. Extracti Hyosciami
Sulphuris aurati Antimonii āā *granum semis*
Sacchari albi *grana decem.*
M. fiat pulvis pro dosi,
exhibeantur tales doses *Nr. sex.*
S. Ter de die pulvis.

2. Rp. Extracti Hyosciami *grana quinque*
Pulveris Gummi arabici
Sacchari Lactis āā *drachmas duas*
— albi *unciam semis.*
M. f. pulv. d. in scat.
S. Saepius mucronem.

Pilulae.

3. Rp. Extracti Hyosciami *drachmam semis*
Pulveris foliorum Digitalis purpureae
— radicis Ipecacuanhae āā *grana quinque*
Opii puri *grana duo*
Mucilaginis Gummi arabici quantum satis
ut f. p. *Nr. triginta.* Consp. etc.
S. Omni 3 h. pil. 1.

Linctus.

4. Rp. Extracti Hyosciami *grana quatuor*
P. Gummi arabici
Olei Amygdalarum dulcium
rec. pressi āā *unciam unam*
Syrupi Amygdalarum *unc. semis*
M. f. linctus.

Lactucarium. — Mixtura.

Rp. Lactucarii *scrupulum unum*
Mucilaginis Gummi arabici q. s.

ad subactionem perfecte unitis affunde:
Aquae fontanae *uncias sex*
Syrupi Rubi Idaci *unciam semis*
M. S. Omni bih. cochl. duo.

Pulvis.

Rp. Extracti Lactucae virosae *grana quatuor*
Sacchari Lactis *scrupulos quatuor*
M. f. pulv. divide in p. aeq. *Nr. octo*
S. Omni bih. 1 pulv.

Pilulae.

Rp. Extracti Lactucae virosae *scrupulos duos*
Asae foetidae *drachmas tres*
M. f. l. a. pil. *Nr. octoginta.*
Consp. etc. S. Omni 2—4 hora pil. 2.

Dulcamara. Decoctum.

Rp. Caulium Dulcamarae conciss.
Seminum Phellandrii aquatici āā *drachmas duas*
coque c. suff. quant. Aq. font. per 1/4 hor.
col. *unciarum octo*
adde
Vini stibiati *drachmam unam*
Syrupi Senegae *unciam semis.*
M, S. omni bihor. cochl. duo.

Rp. Herbae Altheae *unciam unam*
Stipitum Dulcamarae
Radicis Liquiritiae conc. āā *unciam semis.*
M. Dt. S. Thea.

Rp. Extracti Dulcamarae *scrupulum semis*
solve in
Decocti radicis Altheae *unciis tribus*
adde
Tincturae Opii crocatae *guttas duas*
Oxymellis simplicis *drachmas tres*
M. S. cochleatim. Goelis.

Ledum pallustre. Infusum.

Rp. Herbae Ledi pallustris *unciam unam*
Foliorum Sennae *drachmam unam*
Radicis Ipecacuanhae *grana quatuor*
infus. s. q. Aq. font. fervidae, digere
per horam v. cl. loco tepido
saepius agitando, colat. *unc. quatuor*
adde
Liquoris Ammonii anisati *drachm. unam*
M. S. Omni bihor. ½ cochl.

Rep. Herbae Ledi pallustris *drachmas tres*
— Trifolii fibrini *unciam semis*
Inf. s. q. Aquae fervid. p. ½ hor. v. cl.
col. *unciarum sex* adde]
Extracti Graminis Liquidi *uncias duas*
M. S. Omni 3 h. cochl. j.

Nicotiana sistit remedium valde periculosum, hinc rarissime solum adhibetur.

Rp. Tartari stibiati *granum unum*
Pulveris foliorum Nicotianae *grana duo*
„ Gummi arabici *drachmam semis*
Sacchari albi *drachmas duas*
M. f. pulv. div. in partes aequales *Nr. viginti*
S. Omni 2. h. pulvis.

Ex antispasmodicis remediis Moschus praecipue in individuis constitutionis nervosae a Stoll, Hufeland, Fuller, Home, J. Frank etc. celebratur; multi Moschum artificialem (ex Acid. Nitr. conc. et Oleo Ambrae) naturali in praxi infantum praeferunt.

Rp. Opii puri *granum semis*
Moschi *grana tria*
Gummi arabici *scrupulum unum*
Sacchari albi *drachmam unam*

Terendo bene misce, fiat pulvis
div. in part. *aeq. sex*
Dt. in charta cerata.
S. Omni 3. h. 1 pulv. (in 3. stadio).

Rp. Moschi orientalis *scrupulum unum*
Asae foetidae *drachmam unam*
M. f. pil. *granor. duorum*
S. Bis de die X pil.

Rp. Moschi *scrupulum unum*
Elaeosacchari Cinammomi *drachmam unam*
Contere in pulv. subtil.
divide in p. aeq. *quatuor*
Dt. in ch. cer. S. Omni 2 h. pulvis.

Linctus.

Rp. Moschi optimi *grana duo*
Laudani liquidi Sydenhami *guttas quatuor*
Liquoris Cornu Cervi succinati *drachmam unam*
Syrupi Diacodii *sesquiunciam.*
M. fiat linctus.

Asa foetida a Millars et Kopp decantata est; quamvis nonnulli infantes hoc remedium ob saporem valde ingratum recusant, tamen, si vehiculo saccharato mucilaginoso involvitur, alii lubenter capiunt.

Emulsio.

Rp. Assa foetidae *drachmam semis*
Mucilaginis Gummi arabici *unciam semis*
Aquae florum Tiliae *unciam unam*
Syrupi corticum Aurantiorum *unciam semis*
M. S. Omni hora aut bih. cochl. coff. pro infr. bienn. D. F. Caspari.

Solutio.

Rp. Asae foetidae *sesquidrachmam*
solve terendo in
Liquoris Ammonii acetici *uncia una*

adde
Aquae destillatae Foeniculi
Liquoris Ammon. anisati āā *drachmas duas*
M. S. Omni 2. 3. h. cochl. j.

Pilulae.

Rp. Asae foetidae *drachmam et semis*
Mucilaginis Gummi arabici q. s.
ut fiat mass. pil. e qua form.
pil. *Nr. triginta*; consp. etc.
S. De die sex pilulae in pulpa quadam consumendae.

In tussi convulsiva infantum oxydum Zinci praestans est remedium, asserentibus Hufeland, Danz, Winkler, Maze, Tode; Guersent et dosi ultra quindecim ad viginti gran. inter viginti quatuor horas laxantem virtutem exercere observasse refert.

Pulveres.

Rp. Moschi optimi *granum unum et semis*
Sulphuris aurati Antimonii
Zinci oxydati albi āā *granum semis*
Sacchari albi *grana quinque*
M. f. pulv. dent. tales dos. *Nr. sex*
Dt. ad chart. cerat.
S. Omni 2. h. pulvis (in stad. nerv.)

Rp. Florum Zinci
Extracti Hyosciami āā *grana decem*
Pulv. radicis Liquiritiae *drachmam unam*
Florum Sulphuris *scrupulum semis*
Sacchari albi *unciam semis.*
M. f. p. S. Omni 3.—4. h. mucr.

Linctus.

Rp. Opii pulverisati *grana tria*
Zinci oxydati albi *scrupulum unum*
Liquoris Ammoniae succinati *drachmas duas*
Mucilaginis Gummi arabici *unciam unam*

Syrupi Amygdalarum *uncias duas*
M. f. linctus. S. Omni 2. h. cochl. cof. (agitetur ante usum.)

Remedia varia simplicia atque composita ad ridiculum nonnunquam modum, sed et ad perniciem multorum praecipue in secundo stadio tussis convulsivae adhibebantur; uti sunt: Extractum Taraxaci, Kali sulphuricum, Tinctura Cantharidum, Nux vomica, Phosphorus, Acidum muriaticum, Baryta muriatica, Excrementa ovium, Sebum Phocae vitulinae etc. etc.

Ultimis temporibus Guersent, Willisius, Baglivi, J. Frank novum contra hunc morbum subsidium tentaverunt, exhibentes pulverem Visci albi dosi granorum duodecim-quindecim quater de die.

Virtus *vaccinationis* contra tussim convulsivam tutoria firmissima experientia evincitur, quamvis ab insufficienter informatis prolata discutiuntur dubia. Nam illi praecipue infantes graviter mulctantur, qui vaccinationis beneficium nondum sunt experti; pustulis bene evolutis insultus tussis ferinae nonnunquam penitus cessare visuntur; morbi decursus admodum tardus a diebus quadraginta ad viginti abbreviatur; Boccardi, Orlandini, Mattura, Fabronne, Durando, etc. de vaccinationis in tussim hanc influxu egregia communicant documenta [1]).

Minus prospere adhibentur vesicantia, ulcera artificialia etc. quae in junioribus persaepe irritationem universalem, agrypniam, imo febrim ciere valent.

Authenriethus inunctionem cum unguento ex tartari emetici drachma semis et uncia una axungiae in regione epigastrica usque ad ortum ulcerum, quae per decoctum Cicutae sunt sananda, continuare suadet.

Appetitum delent hae inunctiones et profundas

---

1) Gazette médicale. 1834. p. 539.

nonnumquam exulcerationes difficillime sanatu producunt, magna ergo in hoc opus est cautela.

Oleum Therebinthinae, Oleum Crotonis ad provocandum erythema cutaneum vel herpem phlyctaenodem neque multum emolumenti tulisse refertur.

R o c h e de morbi contagiositate perquam persuasus putat, aegros locum atque vestes saepissime commutare debere , quibus solummodo per fumigationem purgatis demum iterum uti licet.

Praevalentibus symptomatibus nervosis, somnoque vel fere vel plane denegato, *balneum* moderatecalidum ne negligatur, in quo aegri versantes tussi minus vexantur vel omnino liberi sunt. Ad congestiones praecavendas spongia aqua frigida imbuta faciem lavare illamque capiti imponere juvat.

Praesentibus vero inflammationibus organorum pectoralium, balneum ne adhibeatur.

Tussi convulsiva in tertium transeunte stadium, accessus, uti supra commemoratum est, rariores, breviores atque mitiores quidem facti, spasmodicum characterem nondum omiserunt, quod probat, morbum nondum ad finem vergere; ideoque illis omnino contradico, qui in hoc stadio omnia medicamenta seponenda esse censent, atque ulteriorem sanationem viribus naturae medicatricibus committunt.

Loco potuum solventium atque diluentium dantur remedia antispasmodica, narcotica, nutrientia, roborantia, praecipue si infantes morbo graviter adflicti massae organicae jacturam sunt perpessi: Decoctum Lichenis, Infusum tenue Coffeae, Serpyllum, Hyssoppus, Cortex Chinae, Chininum, aqua sulphurata cum lacte mixta.

Substantiae balsamicae, Gummi Ammoniacum, Oxymell scylliticum, Kermes mineralis, Sulphur auratum Antimonii, Piper album (sex usque ad viginti qua-

tuor, triginta sex grana, secundum aetatem [1]), Allium sativum [2]) a multis propinantur.

Willisio observante vesicans nunc inter scapulas, nunc ad sternum, nunc ad brachium periodice imponendum catarrhum chronicum, quibusdam in casibus locum tussis convulsivae occupantem, ob longam durationem vitae periculosam infringere atque tollere valet.

Maximi certe momenti in tussi ferina regimen diaeteticum est habendum; hinc quam solertissime cohibendum, ne frigori humido vel alii temperaturae vicissitudini aegrotantes exponentur, vel per tractum aëris offendantur. Tempore caeterum sereno, sicco, moderate calido, non opus est, illos semper retinere in cubili, tunc potius deambulatio vel portatio, vectio, equitatio, oscillatio modica prosunt.

Aegri ac reconvalescentes repetitis vicibus sed modica quantitate nutrimenta accipiant, nam ventriculo oppleto insultus frequentius atque vehementius intrare observantur.

Concedetur victus eupeptus, blandus, praecipue juscula; olera bene cocta; ova recentia; volatilia; fructus horaei bene maturati cocti et quidem absente solum febre et durante primo dimidio stadii secundi morbi.

Morbo ulterius decurrente nonnunquam nutrimenta magis nutrientia, juscula carnosa, caro tosta vel cocta exhibeantur.

Nonnulli infantibus mane et vesperi Lac vaccinum recenter mulsum concedunt, ob virtutem leniter diaphoreticam et expectorantem, quam inde exspectant.

Lac asininum Guersent rite observante statum quemdam febrilem sustentere valet, qui mox lacte seposito cessat, hoc vero idem de lacte valet vaccino.

---

1) Roche.
2) Dewees.

Dulcificatur cum Syrupo Chinae vel diluitur cum Aqua Selterana.

Regimen pro intensitatis gradu et complicationibus praesentibus modificari debet atque institui.

Individua debiliora vestibus utantur e panno laneo confectis et corpus immediate tegentibus; frictiones corporis valdopere sunt proficuae.

Efficacissimum attamen remedium ad exstinguendam omnimodo tussim, consuetudinis vi nonnunquam sustentatam, est *rusticatio*; nonnunquam sola domicilii mutatione morbus finitur.

Peregrinatio aestatis tempore in regiones calidiores infantes a morbo hoc quammaxime exhaustos omnino restituere est visa.

Remedia praeservativa, a multis multa adhibita atque commendata, ut taceam, separationem sanorum ab illis, qui morbo sunt correpti, unicum declaro remedium praeservativum, ne longe morbus evagetur, secundum effatum J. Frank: „*Prophylaxis optima consistit in fuga contagii.*" —

Theses defendendae.

I.

Morborum infantilium tractamen omnium difficillimum.

II.

Potest exercitatio et temperantia etiam senectuti conservare aliquid pristini roboris.

Cicero de senectute.

III.

Omni tetano myelitidem subesse nego.

IV.

Qui sub educatione infantum vitam vegetativam, animalem et intellectualem non simul respiciunt, eorum saluti male consulunt.

V.

Non dantur morbi vere intermittentes, hinc omnes sunt continui.

VI.

Summus phlogoseos internae gradus ab adynamia difficillime dignoscendus.

VII.

Medicastri plures morbos reddunt insanabiles, pluresque mortales.

VIII.

Nil magis saluti hominum obest, quam profanatio artis et scientiae nostrae.

IX.

Medicus castrensis et medici et militis difficultates fert.

X.

Prophylaxis optima consistit in fuga contagii.